DE CARMINIBUS PRISCIANI GRAMMATICI NOMINE INSCRIPTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

JACOBUS KOCH

LANGENSELBOLDENSIS.

MARPURGI CATTORUM

MDCCCLXXXXII.

VITA.

Natus sum **JOHANNES JACOBUS KOCH** a. d. XIII. Kal. Mart. h. s. anni LXII in vico Langenselbold patre Guilelmo, matre Catharina e gente Bauscher. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus vere a. LXXIII in gymnasium Hanoviense receptus sum, cuius per VIII annos discipulus fui. Postquam examen maturitatis Martio mense a. LXXXI superavi, initio insequentis semestris aestivi in numerum civium academiae Philippinae relatus sum, ut philologis studiis operam darem. Autumno a. LXXXII Lipsiam me contuli, ubi per sex menses in litteras incubui; vere a. LXXXIII ad academiam Marpurgensem recessi. Examine pro facultate docendi initio mensis Novembris a. LXXXV superato cum annum tirocinii paedagogici in gymnasio Francofurtensi perfecissem, a Kal. Oct. a. LXXXVI inde usque ad Kal. Oct. a. LXXXVII Marpurgi, Moguntiaci, Hanoviae stipendia merui. Francofurtum reversus in utroque gymnasio et in schola, quae vocatur Musterschule, magistri vice functus sum usque ad Kal. Oct. a. LXXXXI una hieme excepta, qua a mense Novembri a. LXXXVIII usque ad mensem Maium a. LXXXVIIII Italiam peragravi. A Kal. Oct. a. LXXXXI inde in gymnasio Hersfeldensi magistri vice fungor.

Docuerunt me illustrissimi viri: Bergmann, Birt, Bormann, Brieger, Caesar, Cohen, Hirzel, Kessler, Lipsius, Lucae, Ranke, Schmidt, Strümpell, von Sybel. Quibus omnibus maximas gratias ago et habebo, imprimis Birtio, qui summa benevolentia cum in aliis rebus tum in hac dissertatione componenda saepius me adiuvit.

Typis express. Francofurti Enz & Rudolph.

De carminibus Prisciani grammatici nomine inscriptis.

Prisciani, celeberrimi institutionum grammaticarum auctoris, nomini praeter alios libellos duo carmina vulgo addicuntur, liber geographicus in usum scholarum scriptus et panegyricus Anastasii imperatoris.

Prior e Graeco Dionysii, qui inscribitur Διονυσίου περιήγησις οἰκουμένης, paraphrasi libera in Latinum translatus in aliquot codicibus exstat (cf. Poet. Lat. min. rec. et em. Aemilius Baehrensius, vol. V p. 262 sq.); quorum maior pars in titulo — Periegesis Prisciani grammatici cod. Turicensis; Incipit periegesis Prisciani grammatici Cesariensis cod. Durlacensis etc. — Priscianum auctorem nominat, pauci titulo carent. Carmen continet 1087 hexametros. Editiones in manibus habeo has: Wernsdorfium Poet. Lat. min., Altenburgi 1788, Vol. V p. 265 sqq.; Bernhardyum Geogr. Graec. min., Lipsiae 1828, Vol. I p. 427 sqq.; C. Muellerum Geogr. Graec. min., Parisiis 1861, p. 190 sqq.; Aem. Baehrensium l. c. p. 275 sqq.

Alterum carmen integrum traditum est in uno codice Vindobonensi, olim Bobiensi saec. VIII — IX, et ex parte, in v. 44 desinens, in codice Bernensi 363, saec. IX. Carmen continet 312 hexametros cum praefatione 22 versuum senariorum. Cod. Vindobonensis in fronte exhibet titulum: Incipit praefatio Prisciani de laude Anastasii imperatoris et subscribitur: Expliciunt laudes sacratissimi imperatoris Anastasii, Isaurici et Parthici et Gothici victoris dictae a Prisciano grammatico. Cod. Bernensis inscriptum habet: Praefatio Prisciani grammatici de laude Anastasii imperatoris. Quod carmen editum est primum ab Endlichero, Vindobonae 1828 ex codice Vindobonensi, tum repetitum a Niebuhrio, in corpore scriptorum historiae Byzantinae, Vol. I p. 517 sqq.; denique a Baehrensio, l. c. p. 264 sqq., qui utrumque codicem contulit. Wernsdorfius l. c. p. 212 sqq. plane demonstravit non dubitandum esse, quin Priscianus auctor periegesis Latinae sit, inprimis p. 220 ostendens nullam unquam inscriptionem in codice aliquo repertam esse, quae alium quam Priscianum auctorem suggereret, et demum ex eo tempore alterum auctorem petitum esse, quo in inscriptione alius carminis de ponderibus et mensuris, quod a nonnullis viris doctis — Wernsdorfio non excepto — Prisciano adscribitur, Remnius Fannius sive Remus Favinius (cf. Baehrens. l. c. p. 71) ut auctor nuncuparetur.

Quod ad carmen de laude Anastasii imperatoris attinet, cum inscriptione et subscriptione verbosa codicis Vindob. tum inscriptione cod. Bernensis, testimoniis nihil dubii relinquentibus, satis firmari videtur Priscianum esse auctorem. Si vero utrumque carmen accuratius contemplamur et comparamus, nobis tam multa et tam insignia discrimina occurrunt rei metricae, rhetoricae, grammaticae, religionis, ut gravissima dubitatio nobis moveatur, num carmen de laude Anastasii Prisciani, periegesis auctoris, sit.

Quamobrem haud pigebit comparari inter se carmina, de quibus agitur.

Atque primum quidem animum intendamus in rem metricam.

Quod praefatio panegyrici nostri versibus iambicis composita est, panegyricus ipse et periegesis hexametris, illam hoc loco omittemus et infra tractabimus.

Hexametros panegyrici contemplantes atque perpendentes negare non possumus eos diligentia atque cura compositionis excellere.

Theodorus Birtius disserens de Martialis versuum ratione in Friedlaenderi Martialis epigrammaton editione, Lipsiae 1886, Vol. I p. 41 sqq. has sex formas usitatas caesurarum hexametrorum Latinorum affert:

F. I. Do tibi naumachiam || tu das epigrammata nobis.
F. II. Denaris || tribus invitas || et mane togatum.
F. III. Nam subito || collapsa | ruit || cum mole sub illa.
F. IV. Diripere excussosque | iubet || laxare rudentis.
F. V. Exspectant || curaeque | catenatique labores.
F. VI. Et graviora rependit | iniquis pensa quasillis.

Consentiunt viri docti (cf. Lucianum Muellerum, de re metrica poet. Lat., Lipsiae 1861 p. 182 et W. Christium, Metrik der Griechen und Römer, Lipsiae 1874 p. 187) hexametri dactylici ut simplicissimam ita pulcherrimam longe caesuram esse eam, qua post tertium semipedem finiatur verbum. Quae nomine Graeco τομὴ πενθημιμερής sive breviter πενθημιμερής appellari solet et illustratur forma I. Manifestum est auctorem panegyrici operam dedisse, ut sola hac forma uteretur. Inter 312 hexametros modo tres prima specie ab ea recedere videntur, cum 309 et cum caesura post tertium semipedem facta (τριθημιμερής vocata) et cum semiseptenaria (ἑφθημιμερής) et cum utraque coniunctam penthemimeren proferant.

Illi tres versus, qui F. I. neglegere videntur, sunt hi:

v. 121. Et reges iterum (infandum) se reddere nobis.
268. Templa novans renovansque deo fulgentia semper.
278. Quantus adest pro te ostendens discrimine magno.

v. 268 vindicare potest F. III, ut incidatur hoc modo:

Templa novans || renovansque | deo || fulgentia semper.

vv. 121 et 278 formae II annumerari possunt, ut sic legantur:

Et reges || iterum (infandum!) || se reddere nobis.
Quantus adest || pro te ostendens || discrimine magno.

Sed cum F. III modo semel et F. II modo bis inter 312 versus inveniantur, putaverim poetam etiam in his tribus versibus, quos commemoravi, penthemimeren petisse incisionibus usum, quae sequuntur:

Et reges | iterum (in || fandum!) | se reddere nobis.
Templa novans | renovans || que deo fulgentia semper.
Quantus adest | pro te os || tendens | discrimine magno.

W. Christius l. c. p. 198 ostendit et exemplis probat partes nominis compositi non tantopere coalescere, ut caesura inter eas intercedere non possit. Qua libertate usum esse opinor poetam in vv. 121 et 278 simul eo consilio, ut vocabulis divisione, quae caesura efficitur in-fandum et os-tendens, vis quaedam ac pondus accederet. Etiam in versu 268 penthemimeren ponere malim quam duplicem divisionem, quae efficitur trithemimeri coniuncta cum hephthemimeri, vel etiam caesuram κατὰ τρίτον τροχαῖον. Nam quanquam particulae que natura enclitica est, tamen satis constat illam quidem non seiuncte scriptam sed audiendi sensu seiuncte exceptam esse aut excipi potuisse. Certe notabile est formam III, qua ceteri poetae praeter F. I praecipue utuntur, panegyrici auctorem tam caute vitavisse. Ceterum de caesuris in versibus 121, 268, 278 ponendis comparentur animadversiones metricae Adolfi Kiesslingii, Die horazische Satire p. XVIII sq. in eiusdem Q. Horatii Flacci satirarum editione, Berolini 1886.

Transeamus ad periegesis caesuras.

Cum in panegyrico formam I praevalentem invenerimus et ipsas formas II et III tollere constituerimus, nobis in periegesi praeter I occurrunt, quae sequuntur:

Atque primum quidem septies F. III

v. 231. Ast ortus || angusta | petit || summamque Syenen.
427. Traditur. hic || Ilisos | aquis || devolvitur amnis.
648. Ingentes || genuere | viros || belloque potentes.
827. Scis etenim || memorasse | tibi || quod collibus altis.
938. At supra || Babylona | vides || ad flamina vasta.
1022. Purpureos || que amethystos | inest || suffusa colore.
1075. Dispersas || numerare | tibi || sine numine magno.

Quo accedunt septendecim versus, si particula *que* caesuram muliebrem effici sinimus:

v. 23. Perstringit || praecepsque | ruit || Maeotida poscens.
27. Per mare sic || fluviosque | duos || discernitur orbis.
235. Qui veteris || claraeque | colunt || sub moenia Thebes.
336. Tartessus || Cempsique | sedent || qui collibus imis.
369. In gremio || Marsosque | simul. || tunc deinde Tarentum.
399. Aegaeo || Siculoque; | movent || quae flamine venti.
530. Compescit || damnumque | famis || rabiemque diurnam.
556. Ad boream; || saxisque | riget || Proconnesus in illa.
709. Victorem || verrisque | canem || rabidique leonis.
805. Corycium || Pergeque | calens || et celsa Phaselis.

818. Lyrnessus || Mallosque | simul || vicina profundo.
877. Namque thyo || smyrnaque | riget || cum turis odore.
905. Armeniae || longusque | noton || pertendit; et inde.
942. Geli sunt || Mardique | viri || simul Atrapateni.
1003. Oritas || Aribasque | simul || linique Arachotas.
1051. Devolvens || Hypanisque | trahit || rapidusque Magarsus.
1084. Et fluvii || montesque, | lacus || quos continet orbis.

Etiam in versu

939. Cissos Massabatasque || Chalonitasque feroces

caesuram κατὰ τρίτον τροχαῖον quam penthemimeren sumere malim, praesertim cum illa aliter ac panegyrici v. 268 non trithemimeri et hephthemimeri aut altera earum fulciatur.

Eadem forma VI Graecanica minimeque Latina invenitur

v. 525. Aegylaque, inde Cythera, || Calauria dura colonis.

F. IV. i. e. hephthemimeres cum praecedente caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον semel exstat

v. 294. Hinc sunt Germanique | truces || et Sarmata bellax.

F. V. sive trithemimeren cum insequente caesura muliebri tertii pedis periegesis bis habet:

v. 518. Continuo || post hasce | Liburnidas aspicis altas.
578. Sunt geminae, || Rhenique | Britannides ostia cernunt.

F. II. sive trithemimeren cum insequente hephthemimeri quater reperimus:

v. 78. Haec Libyes, || haec Europes, || adversa tuendo.
356. Hunc habitant || prope Lucani || Brettique coloni.
408. Alpheus, || qui Messeni || discinditur undis.
947. Haec generat || narcissiten || oriente sub ipso.

Quos versus ad F. I. referre non possumus sicut panegyrici v. v. 121 et 278. Idem fieri non potest

v. 893. Speluncis || genus infelix || et rebus egenis.

Eandem ob causam

v. 758. Atque Carambidis irrumpit || prope litora pontum

in numerum eorum versuum adscribo, qui illam formam caesurae a poetis classicae aetatis argenteae non usitatam (cf. Birtium l. c. p. 42) sequuntur, quae versum sola hephthemimeri incidit. Praeter hunc versum eandem formam exhibent duo:

v. 254. Hic lapis Heeliotropius || qui nomine vero.
412. Arcades Apidanei sub || scopulos Erymanthi.

Cum hoc genus divisionis per se habeat aliquid duri, versus 412 omnem eurhythmiam et euphoniam laedit duabus longis vocalibus ē ī, inter quas caesura desideratur, in tertio pede convenientibus et hephthemimeri post praepositionem s u b posita, quae est unius syllabae neque cum verbis praeeuntibus iungenda est sed cum insequente s c o p u l o s, a quo caesura semiseptenaria dirimitur.

Eandem duritatem et inscitiam rei metricae, de qua Birtius l. c. p. 45 Martialem reprehendit, quod in hexametro tripartito primum pedem verbo dactylico vel spondiaco impleat, ut in altera arsi monosyllabum exstet et id quod trithemimeres vult sc. ut accentus verbi versus ictui repugnet tollatur, in periegesi invenimus:

v. 427. Traditur hic || Ilisos | aquis || devolvitur amnis.
942. Geli sunt || Mardique | viri || simul Atropateni.

Quibus fortasse adnumerandus est

v. 27. Per mare sic || fluviosque | duos || discernitur orbis,

in quo quidem non unum verbum dactylicum legitur, sed praepositio cum nomine coaluisse videri potest.

Iam ita comparentur inter se carmina, ut ad incisiones attendamus intra dipodiam versum concludentem usitatas. In utroque praevalent versus ad has normas formati:

Accipe Romanum clementi pectore | carmen

et

Prospera quae bellis pariter vel pace | tulisti.

Auctor panegyrici ante ultimam arsin verbis monosyllabis non utitur praeter praepositiones in, sub, ad, per, ab et iis quidem ubique cum fine coalescentibus ut

v. 44. Et loquar ut breviter, quod sentis corde | sub imo,

non excepto

v. 299. Qui Scythicas gentes ripis depellit | ab Histri.

Nam quamquam hoc loco praepositio ab anastrophice ab nomine ripis segregatur, tamen etiam ante Histri suo loco est, quoniam etiam in oratione soluta ab Histri ripis dici potest.

Verbum tetrasyllabum in fine versus non invenitur, pentasyllabum semel:

v. 80. Graecia iam taceat iactans mihi Bellerophontem.

Hoc eo excusatur, quod nomen proprium est.

Maiore libertate utitur periegesis, in qua non modo multis locis praepositiones monosyllabae ante ultimam arsin sed etiam coniunctiones exstant: primum copulativae: v. 2 et undae, 71 et artes, 204 et umbris, 205 et igni, 323 et altus, 335 et alta, 432 et ora, 551 et altae, 569 et auras, 734 et oris, 905 et inde, 913 et exit, 971 et arcu, 990 et auget, 1065 nec ignis — tum adversativae: v. 535 sed ortus, 263 at illa, 400 at altum, 953 at illa — denique disiunctiva: v. 637 vel austri. Verba quattuor et plurium syllabarum concludunt versus 15. 192. 234. 302. 311. 314. 338. 339. 412. 445. 455. 464. 475. 514. 546. 596. 661. 662. 670. 743. 798. 866. 889. 927. 942. 977. 1003. 1005. 1019. 1028. 1045.

Horum maior pars exhibet nomina propria, vv. 596. 977. 1019. 1028 verba externa elephantes, cylindris, adamanta, elephantos. Itaque ne eos quidem versus improbemus. Sed valde reprehendendus est

v. 234. Hanc habitant homines multi pariterque opulenti,

nam boni poetae Romani vitant in fine hexametri Latinum ionicum a minore ponere.

Aliae inusitatae formae dipodiae versum concludentis sunt hae: Sextus pes constat e duobus monosyllabis

v. 970. Prima parte Sabae, mediusque Pasargada post | hunc

et thesis paenultima ex verbo pyrrhichio

v. 157. Cimmerium torrens per Bosphoron hic | ubi | Taurum.
526. Ad radios vergit sed Carpathus. hanc | prope | Crete.

Porro panegyrici auctor eo elegantiorem se praestat, quod nullum usquam exemplum praebet, quod iuxta caesuram κατὰ τέταρτον τροχαῖον etiam caesuram κατὰ πέμπτον τροχαῖον offert, ut quinta arsis intra verbum amphibrachicum sit. In periegesi hoc vitium reprehenditur:

v. 189. Accessus que furit siccisque | recessus | harenis.
463. A Tyriis colitur, Cotinussa | vocata | vetustis.
589. Ad Thylen venies, quae nocte | dieque | relucet.

Ab his non multum differunt propter procliticam naturam praepositionum

v. 82. Ad Leucen Petran aquilonis | ab axe | reductis.
601. Spina ferens cladem fatumque | sub ore | feroci.
899. Alterius Syriae; quae tendit | adusque | Sinopen.
1017. Vel dentes stringunt elephantis | ab ore | revulsos.

Iam videamus, quantum intersit inter panegyricum et periegesin, quod ad synaloephas attinet.

Discrimen in oculos cadit, si simplicem numerorum computum facimus. Si Baehrensii coniecturas ad versus 126 et 186 (victi pro vix et clusa pro vix) omittimus, numeramus in panegyrico 10 elisiones inter 312 versus i. e. 1 inter $31^{1}/_{5}$. Contra in periegesi insunt 83 inter 1087 versus i. e. 1 inter $13^{8}/_{87}$. Ergo periegesis plus quam duplicem numerum synaloepharum praebet. Spectemus nunc, quo loco singulorum pedum elisiones et quales inveniantur.

Intra primum pedem in panegyrico semel tantum eliditur inter primam arsin et primam thesin v. 108 Atque‿hostes. Ut hic sic in periegesi breves vocales deteruntur v. 182 Namque‿errant, 333 Atque‿Hellesponti, 372 Usque‿Hyrii, 528 Ante‿ortus, 768 Atque‿Hellespontum, 801 Usque‿ad, 839 Atque‿humilem, 842 Namque‿alii, 851 Atque‿oculis, 958 Atque‿optata, 1020 Atque‿aura. Aphaeresin habet versus 419 Juxta‿est.

Praeterea in periegesi genus synaloephes exstat a bonis poetis vitatum; eliditur enim vocalis inter breves syllabas primae thesis vel inter tertiam et quartam moram v. 781 Altera‿ad.

Exitus primi pedis cum initio secundi synaloephe iugatur in panegyrico v. 60 Vindicta‿ut et — si Baehrensii coniecturam teneri malis — v. 126 Et victi‿aetherio; ergo in utroque longae vocales eliduntur. Longae vocales elisae hoc loco versuum periegesis omnino non occurrunt, sed quater dyphthongus æ: v. 18 Qua boreae‿excurrit, 32 Europae‿atque, 524 Sed multae‿Amnisi, 577 Astaliae‿oceani; quater breves vocales: v. 77 Hinc atque‿hinc, 140 hinc atque‿hinc, 525 Aegylaque‿inde, 944 Medea‿huic; sexies syllaba anceps: v. 16 Sed Libyam‿Europae,

17 Linea quam‿obliquant, 102 At laevam‿Ausoniae, 298 Augustum‿et, 500 Tibia quem‿extollit, 906 Ad solem‿inflexus. Quo accedit aphaeresis v. 120 Sidonium‿est.

Inter arsin et thesin secundi pedis in panegyrico semel syllaba anceps eliditur: v. 46 Antoninum‿huius, in periegesi bis vocalis ĕ syllabae que deteritur: v. 262 Linea namque‿Asiae 1022 Purpureoque‿amethystos.

In panegyrico tertius pes bis cum antecedente secundo elisione iungitur: syllaba ancipiti abiecta v. 121 iterum‿infandum, vocali ē oppressa v. 278 pro te‿ostendens.

Aeque atque in panegyrico inter octavam et nonam moram in periegesi eliditur: ĕ v. 6 canere‿atque, 613 facile‿est, ae v. 143 Europae‿hunc.

Intra tertium pedem i. e. inter decimam et undecimam moram panegyricus elisionem non habet, periegesis contra elidit quater: ĕ v. 6 atque‿urbes, 227 Fruniquе‿et, um v. 395 cum‿extinctam, ae v. 1053 quae‿ad.

Quamquam plurimae elisiones panegyrici in quarto pede sunt, tamen modo unus pes cum praecedente tertio synaloephe iugatur v. 153 atque‿auri. In periegesi eodem loco non solum syllabae breves eliduntur ut v. 46 atque‿Indum, 103 maria‿undique, 384 namque‿hic, 455 calida‿ostia, 497 namque‿illum, 737 usque‿ad, 886 atque‿Agrees, sed etiam diphthongus ae v. 542 dextrae‿Europesque; ibidem aphaeresin habet v. 260 Libyae‿est.

Altera synaloephe quarti pedis inter quartam decimam et quintam decimam moram in panegyrico quater invenitur: eicitur ī v. 74 vehementi‿obsistere, um v. 185 undarum‿et 302 tantorum‿et, ă v. 283 divina‿e.

Cum constet bonos poetas post penthemimeren inter quartam arsin et quartam thesin maxime sibi indulsisse, laudandus est panegyrici auctor, qui paene dimidiam partem omnium elisionum, quibus in carmine utitur, hoc loco ponat. Contra in periegesi non multum pro numero elisionum, quae insunt, hic eliditur, ut tantum undecim i. e. septima fere pars omnium inveniantur. Deteruntur: ī v. 199 Aegypti‿ad, 592 flectenti‿aquilonis, 853 Beryti‿et, 1043 discreti‿et, ō v. 416 tacto‿accensus, ĕ v. 163 tenuisque‿a, 711 711 sequiturque‿Hyrcania, 863 pecorique‿et, ae v. 937 Asianae‿ad, um v. 615 positarum‿in, em v. 672 collem‿et. Huc accedit alterum elidendi genus in panegyrico plane vitatum, quo inter breves syllabas quartae thesis i. e. inter quintam decimam et sextam decimam moram vocalis opprimitur: v. 852 Gazam quoque‿Elaida.

Panegyricus synaloephas ut inter duodevicesimam et undevicesimam ita inter undevicesimam et vicesimam moram prorsus evitat; etiam inter sextam decimam et septimam decimam moram modo Baehrensii coniectura (cf. p. 8) elisionem postulat. Periegetes tria genera adhibet: primum inter quartum et quintum pedem ĕ particulae que sexies eicitur: v. 17 atque‿ostia, 30 atque‿aequora, 70 suppostasque‿urbibus, 521 atque‿aspera, 674 atque‿aequora, 697 Hyrcanique‿ostia; tum octies inter duodevicesimam et undevicesimam moram abicitur vocalis: ĕ v. 234 pariterque‿Agathyrsi, 445 rupe‿Aracynthi, 1003 linique Arachotas, 1005 rupe‿Arienos, 1019 nitidumque‿adamanta, 1028 more‿elephantos, ă v. 596 magna‿elephantes. Manifestum

est poetam ipsum sensisse elisiones hoc loco aptas non esse; etenim modo in iis ipsis versibus inveniuntur verbo tetrasyllabo concludentibus, quos non usitatos esse iam supra dictum est (cf. p. 7). Tertium vero periegetes intra quintum pedem inter undevicesimam et vicesimam moram elisione utitur non solum brevibus ă et ĕ abiectis v. 296 pectora‿Alani, 721 sanguine‿equino, sed etiam diphthongo ae v. 540 insulae‿Abydi.

Sextus pes in utroque carmine synaloephe vacat, duo periegesis versus aphaeresi concluduntur: 24 austrum‿est, 425 ortum‿est.

Loca, quibus synaloephe vitata est, lineola recta significantibus nobis schema panegyrici hoc occurrit:

— ◡|◡ — ◡|◡ —|◡|◡ — ◡|◡ |—|◡|◡|—|⏓

periegesis hoc:

— ◡◡ — ◡|◡ — ◡|◡ — ◡◡ — ◡◡|—|⏓

Inde sequitur insigne discrimen, quod panegyricus synaloephas decem locis prorsus excludit, cum periegesis eam modo quattuor locis vitet.

Conferamus nunc vocales vel syllabas, quae in utroque carmine eliduntur. Baehrensii coniecturis omissis in penegyrico syllaba um abicitur quater vv. 46. 121. 185. 302, ĕ bis vv. 108 et 153, ā semel v. 60, ă semel v. 283, ē semel v. 278, ī semel v. 74. In periegesi ā et ē non eliduntur, syllaba um ter vv. 298. 395. 615 (ergo rarius pro panegyrico), ĕ semel et quadragies vv. 182. 323. 372. 528. 768. 801. 839. 842. 851. 958. 1020. 77. 140. 262. 525. 1022. 6. 613. 727. 46. 163. 384. 497. 711. 737. 863. 886. 17. 30. 70. 234. 302. 445. 521. 674. 697. 721. 1003. 1005. 1019. 1028, ă septies vv. 330. 944. 781. 103. 455. 296. 596, ī quater vv. 119. 592. 853. 1043. Praeterea periegetes elidit: am quater vv. 16. 17. 102. 395, em ter vv. 500. 906. 672, ae octies vv. 18. 32. 143. 1053. 542. 937. 1053. 540, ō semel v. 416.

Monosyllabae ante sequentes longas elisae notandae sunt: in panegyrico v. 278 te, in periegesi v. 17 quam, 395 cum, 500 quem, 1052 quae.

Forma est verbi substantivi aphaeresi litterae e in panegyrico omnino non cum praecedente vocabulo confunditur, in periegesi quinquies vv. 24. 120. 260. 419. 425.

Ut id notandum erat, quod diphthongus ae in panegyrico nusquam, in periegesi contra octies eliditur, ita in illo carmine raram eam licentiam vitatam esse videmus, qua æ in exitu verbi corripitur. Qui usus in periegesi quinquies invenitur: quater in verbo insulae vv. 459. 520. 567. 610 et semel in nomine proprio v. 464 Gymnesiae (cf. Luc. Muellerum, de re metr. p. 308).

Duas vocales intra idem verbum in unam syllabam per synizesin confusas in panegyrico non animadverti. In periegesi notavi synizeses: in adverbio deinde vv. 362. 369 et in adverbio dehinc littera h oppressa v. 475. Contra v. 820 idem dehinc sine synizesi legendum est, quod prior syllaba ultimam moram secundi pedis explet altera arsin tertii. Comparandi causa versus ipsi legantur:

v. 475. Sic alibi generat. dehinc rupes Aeolidarum.
v. 820. Commagena dehinc regio Syriaeque secuntur.

Notabile discrimen inter panegyricum et periegesin est, quod ad interpunctionem attinet.

In panegyrico gravis interpunctio – uno versu 121 excepto—intra versum ne post caesuram quidem invenitur sed semper in fine versus. Endlicherus et Baehrensius illi quidem v. 230. post largiri semicolon ponunt, sed non intellego, cur id faciant; nam verba quamvis numerum vincentia donas optimum sensum praebent iuncta cum antecedentibus

Sufficis haud animo cupienti commoda cunctis largiri. . .

Natura concessiva coniunctionis quamvis non adeo eminet, si illam cum insequente versu 231

Ingenuo relevas occulte munera praestans

iungimus. Nescio an illi viri docti in indicativo donas offendant et eam ob causam quamvis cum participio vincentia coniungere velint, velut v. 54: Quamvis supplicium debentes solvere mundo. Sed quamvis cum indicativo saepius et alias et apud Horatium, Sat. II, 5. 15: Qui quamvis periurus erit . . . exstat.

Exclamationis signum intra versum 121, ut iam supra (p. 5) ostendimus, eo consilio positum est, ut maioris gravitatis causa versus praeter penthemimeren hephthemimeri alterum interrumpatur.

Aliter res habet in periegesi. Ibi graves interpunctiones compluribus locis intra versum invenimus.

Atque primum quidem quadragies post penthemimeren vv. 13. 122. 137. 142. 146. 191. 286. 318. 325. 335. 384. 394. 403. 406. 417. 418. 443. 456. 462. 465. 475. 500. 519. 529. 549. 551. 605. 643. 663. 664. 711. 723. 739. 800. 831. 832. 948. 1006. 1007. 1050; post hephthemimeren ter decies vv. 118. 119. 369. 428. 440. 583. 746. 778. 840. 843. 891. 930. 1069.

Etiam post caesuram κατὰ τρίτον τροχαῖον interpungitur gravius

v. 399. Aegaeo Siculoque; movent quae flamine venti,

si Baehrensium sequimur. Wernsdorfius et Muellerus leviore commate interpungunt: Aegaeo Siculoque, movent quae . . ., ut maius vocis intervallum in hephthemimeri poni possit.

Post trithemimeren quinquies decies enuntiatio finitur: vv. 31. 43. 66. 110. 207. 255. 260. 401. 407. 409. 556. 611. 712. 767. 793.

Ut in versibus paulo supra commemoratis 31. 43. 66. 110. 207. 611. 767. 793 non modo post trithemimeren sed etiam post primum verbum versus interpungitur, sic in octo aliis versibus ultimum antecedentis enuntiationis verbum simul primum insequentis versus est: sexies primum pedem explens vv. 80 Excipit. | hunc . . . , 353 Fertilis: | hanc . . . , 427 Traditur. | hic . . . , 516 Circuit: | has . . . , 610 Insulae; ast . . . , 673 Litora; | qua, bis thesis syllabas distrahens vv. 423 Eurus; | in . . . , 507 Maior; | ad . . .

Magnae offensioni est sensui incisio post thesin tertii pedis adhibita, qua rhythmus propter vicinam penthemimeren plane discinditur. Quod illucescit:

v. 38. Qui quamvis unus || sit, plurima nomina sumit.
77. Hinc atque hinc statuae || sunt. ambae litora cernunt.
279. Pyrenes sequitur || mons. post hunc Celtica tellus.

J. Hilbergius, Verhandlungen der 39. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner in Zürich 1887, Lipsiae 1888 p. 240, et ipse quidem demonstrat talem sententiarum dissolutionem turpem esse vv. 77 et 279 afferens, sed non animadvertit v. 38 idem vitium habere. Recte Hilbergius monet ea vitia modo eo excusari posse, quod Prisciano ingenium poeticum defuerit, non quod haec inscitia aetatis Priscianeae propria fuerit; nam alios poetas aequales diligentissime tales versus vitasse.

Idem Hilbergius l. c. p. 232 sq. reprehendit nonnullorum poetarum versus, qui asyndeton sententiae post alterum pedem dactylicum praebent. Hanc interpunctionem etiam in periegesi semel notamus:

v. 191. Esse Nean polin; hanc || supra iustissima fertur.

Alia intervalla interpunctionis inveniuntur et semel post secundum trochaeum

v. 497. Ignis et unda; salem namque illum solvere flammae

et ter post trochaeum quinti pedis

v. 534. Nam purus carae potitur telluris. Abantas
535. Supra sunt Salamis nec non Aegina. sed ortus
945. Armeniae longusque noton pertendit; et inde.

Lucianus Muellerus, qui in libro de re metr. poet. Lat. p. 190 sqq. ostendit poetas Latinos caesuram bucolicam non amasse, Priscianum ceteroquin haud raro citatum neglegit. Incisio post quartum dactylum in periegesi quinquies exstat:

v. 157. Cimmerium torrens per Bosphoron; | hic ubi Taurum
464. Continuoque iacent Gymnesiae: | has Baleares
830. Hoc esto laterum boreum tibi; | Nilus ad oras
886. Chaulasii post hos atque Agrees: | inde propinquant
974. Hinc Coros immensus profunditur; | inde Choaspes.

Etiam aliud genus caesurae bucolicae, quo incisio post quartum spondeum fit, a Christio, Metrik der Griechen und Römer p. 193, iure vituperatum, quod spondeus molestam monotoniam in catalexin amborum membrorum ferat, in periegesi octies notavi:

v. 87. Ad partes vergens australes. | excipit istum
148. Nervo curvati distento: | dextera nervum
429. Esse potestatis diversae. | namque duobus
571. Atlantem iuxta longaevi; | finibus olim
626. Gurgitis Euxini vicinum; | multa virorum
837. Urbibus et multis habitatur; | nomine prisco
896. Non Arabis similes opulentis; | scilicet aequa
941. Medica noscetur tibi tellus; | cuius ad axes.

Porro animadverto in periegesi licentiam quandam metricam, quam panegyricus non habet; dico usum brevium syllabarum in arsi producendarum. Hic inprimis in oculos cadit in verbis Arabia, Arabes, Arabi. In iis paraphrasis Latina Graecum archetypum Dionysii accuratissime sequitur. Nam versus, in quibus Priscianus hoc gentis nomen prima syllaba producta praebet, 769. 865. 866. 870. 890 respondent versibus idem ostendentibus Dionysii 802. 924. 925. 930. 960; item Prisciani versus 868. 896 aeque ac Dionysii 927. 968 brevi

syllaba Ar utuntur. Ut productas syllabas excusent, nonnulli et Dionysii et Prisciani codices eosque secuti complures eorundem auctorum editores r sive ϱ geminaverunt. Hoc nulla probabili causa factum esse iam Eustathius confirmat in commentariis, qui inscribuntur: Ὑπομνήματα εἰς Διονύσιον τὸν περιηγήτην — cf. Bernhardyi Geogr. Graec. min. vol. I p. 283 sq. — cum ad v. 927 annotet: τυχὸν δὲ ἀντιγράφων αὐθάδεια τὴν τοῦ ϱ̄ διπλόην ἐξ αὐτονομίας παρεισήνεγκεν; recte igitur Bernhardyus l. c. vol. II. p. 530 in annotatione ad Dionysii v. 24 disserit: A b i p s i s p o e t i s, m o d o v e n i a p o s s e t a b a r s i v e l i c t u l e g i t i m a p e t i, s i b i l a n t i u m v e l a s p e r a t o r u m s o n o r u m r e p e t i t i o n e m f u i s s e d e v i t a t a m a p p a r e t.

Ceterum in periegesi duo exempla syllabarum productarum exstant, quae ne orthographiae quidem ratione excusari possunt:

v. 661. Hi Tanain habitant fluvium prope Sauromatarum
1031. Et radios solis et sacra mente retractant.

In his versibus syllabae finales verborum Tanain et solis natura breves producuntur. Scilicet in posteriore versu lectiones codicum variant, quorum alteri oculis pro solis exhibent. Quos secuti Bernhardyus, Carolus Muellerus, Baehrensius oculis legi volunt. Difficultas v. 1031 fortasse tollitur, si facili coniectura usi verborum positione mutata legimus:

Et solis radios et sacra mente retractant.

Quantum rei metricae discrimen sit inter panegyricum et periegesin, cum satis explanasse mihi videar, transeamus ad stilum grammaticamque comparanda.

Ac primum quidem notandum est particulas adversativas in periegesi saepissime, in panegyrico modo raro in usu esse. Index, qui sequitur, illustret, ubi et quoties inveniantur:

	in panegyrico:	in periegesi:
At	ter vv. 70. 82. 123	bis et vicies vv. 24. 40. 60. 102. 105. 108. 127. 205. 229. 258. 263. 400. 405. 495. 505. 507. 531. 592. 625. 938. 953. 1040.
ast	deest	vicies vv. 28. 33. 42. 63. 190. 231. 264. 338. 548. 568. 577. 583. 610. 614. 623. 629. 731. 968. 1016. 1029.
sed	octies vv. 39. 55. 178. 191. 205. 239. 259. 296	semel et quadragies vv. 11. 13. 16. 20. 27. 47. 84. 106. 142. 151. 174. 260. 372. 394. 396. 422. 425. 524. 526. 535. 562. 574. 640. 641. 643. 670. 685. 701. 715. 721. 797. 831. 843. 872. 884. 901. 911. 1041. 1067. 1080.

sed tamen	bis vv. 15. 130	bis vv. 333. 690.
tamen	semel v. 138	duodevicies vv. 10. 37. 45. 99. 246. 251. 273. 410. 474. 543. 580. 620. 639. 655. 687. 814. 891. 916.
vero	deest	bis vv. 540. 717.

Insunt igitur in panegyrico 14 coniunctiones adversativae vel una intra $22\,^3/_7$, contra in periegesi 105 vel una intra $10\,^{37}/_{105}$ versus; ast et vero panegyrico plane desunt.

Discrimen inter carmina, de quibus agitur, inprimis eo illustratur, quod particula ast in panegyrico non exstat, cum periegesis ea abundet. Lucianus Muellerus, de re metr. p. 394 sq. ostendit ast idem esse quod at, sed ut illa forma sit vetustior, et plurimos classicae aetatis poetas eo verbo abstinuisse et ab Augusti inde aetate hanc formam adhiberi coeptam esse. Quae Muelleri observatio comprobatur et accuratius illustratur ab H. Jordano in libro Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache p. 290 sqq. Ergo auctor panegyrici elegantiorem se praestat periegete, quod exemplaria classica sequitur.

At non modo forma sed etiam vis coniunctionum adversativarum in panegyrico accuratius servatur. Nam quattuordecim particulae eius vere adversativae sunt, quibus sententiae sequentes praecedentibus opponuntur. In periegesi contra manifestum est Priscianum paraphrasten crebris archetypi Graeci particulis δὲ, μὲν—δὲ etc. adductum interdum at, ast, sed etc. posuisse, ubi suum locum non habent, sed ubi et, tum, porro similia exspectantur. Sane coniunctio at et a poetis et a pedestribus scriptoribus adhibetur ad sententias dispares eas quidem sed non plane oppositas coniungendas. Velut in Caesaris de bello Gallico commentario quarto caput XII particula at incipit, atque eadem in versu 691 Vergilii Aeneidis libri VII respondet in enumeratione praecedentibus Primus (v. 647), post (v. 656), tum (v. 670), nec (v. 678). Ceterae particulae contra sed, sed tamen, tamen, tamen, vero vulgo contrarium et id grave contrarium significant.

Profero exempla, quae periegesis praebet vim adversativam neglegentia, particulas respondentium Dionysii locorum addens uncis inclusas: Primum sed vi adversativa caret v. 106 (apud Dionysium v. 102 vacat particula). Tyrrhenum zephyro, Siculum sed tunditur austro, 141 sq. (ἡ δὲ v. 152) Unus, qui ... Carambis dicitur; sed contra ... alter prominet, 371 sq. (τ' v. 379) Calabrae telluris rura secuntur. Usque Hyrii summam sed tendit Iapygis ora, 396 (δὲ v. 398) miro fonte descripto pergitur Sed supra Thracen, 524 sqq. (αὖθ' v. 500) Videntur: Aegylaque, inde Cythera, Calauria dura colonis; ad radios vergit sed Carpathus, 713 sqq. (ἀλλ' ἤτοι—μὲν v. 736, quod Bernhardyus vertit at) ... bibit hunc Bactrus... Sed Bactri habitant ..., 830 sq. (αὐτὰρ v. 892) Nilus ad oras Hesperies finit; sed Tethys solis ab ortu Indica concludit; Rubrum mare terminat austrum, 842 sqq. (δ' v. 905)... alii mediis habitant telluris in arvis ...; sed litora iuxta Phoenices vivunt ..., 900 sq. (δ' v. 975) Cappadoces mediis habitant in finibus huius; terminus

Assyrios sed claudit Ponticus, 1040 sq. (δ' v. 1134) At notios pelagus concludit gurgite Rubrum; sed Ganges ortus et Caucasus excipit arctum. Porro plane inepte vertuntur Dionysii vv. 722 sq.

ἡ δὴ πολλὰ μὲν ἄλλα μετ' ἄνδρασι θαύματ' ἀέξει,
φύει δὲ κρύσταλλον ἰδ' ἠερόεσσαν ἴασπιν:

Multa quidem generat viris miracula rerum,
Sed tamen egregio crystalli pondere gemmam.

Hoc loco Priscianus propter μὲν—δὲ, cui nihil nisi vis copulativa inest, quod et-et vel cum-tum verti poterat, adversativo sed tamen concessivum quidem opposuit.

Aeque tamen vim adversativam perdidit: v. 36 sq. (δ' v. 27) Talia mortales perhibent discrimina terrae. Circuit oceani gurges tamen . . ., 250 sq. (δὲ v. 260) Haec facies Libyes, hic claudit terminus illam. Sunt tamen huic aliae gentes . . ., 541 sqq. (v. 519 vacat) . . . sunt insulae Abydi, confines Asiae dextrae Europesque sinistrae; ad boream tamen hae pertendunt . . ., 655 (δ' v. 666) cursu Tanais fluminis descripto continuatur Hunc tamen vertit in glaciem boreas, 813 sq. (καὶ—μὲν v. 866) Hunc Asiae perhibent angustis partibus esse. Cui tamen immenso fluvii se gurgite miscent, 916 (δ' v. 992) Euphratis et Tigridis descriptione confecta dicitur Hoc tamen omne solum, fluvius quod cingit uterque . . .

W. S. Teuffelius in libro „Geschichte der Römischen Literatur" § 481,2 de Prisciani institutionum grammaticarum libris disserens dicit dictionem huius auctoris vitiosam esse magna verbositate eundemque de correcta collocatione verborum sermonis Latini vix umbram experientiae habuisse. Prius vitium in periegesi vituperari non potest, quoniam paraphrastes non sua sed aliena profert. Etiam panegyricus non verbosior est quam in tali laudatione exspectatur. Quod contra ad verborum collocationem attinet, periegesis minime a reprehensione Teuffeli defendi potest, cum panegyricus insignem huius rei curam agat. Hoc discrimen maxime videmus animum intendentes ad collocationem particularum.

Secundum loquendi usum Latinum causales nam et namque modo in initio sententiae ponuntur. Quae lex in panegyrico ita servatur, ut namque semper (quinquies) primum verbum enuntiationis sit vv. 4. 16. 33. 156. 232, nam octies primum vv. 29. 50. 58. 99. 220. 273. 290. 293 et quater secundum vv. 8. 36. 61. 215. In periegesi contra non modo quaterdecies nam primo loco invenitur vv. 66. 392. 534. 603. 765. 778. 796. 822. 875. 891. 924. 979. 1074. 1085 et septies altero vv. 122. 634. 703. 871. 920. 998. 1007 sed etiam ter tertio loco vv. 43. 149. 255. Item namque non modo novies primo loco ponitur vv. 172. 182. 388. 429. 733. 842. 877. 966. 1060, sed etiam bis secundo vv. 262. 497 atque semel ineptissime quinto v. 436.

Porro non vituperandus est in panegyrico ordo adversativarum. At semper (ter) primum locum habet vv. 70. 82. 123, sed quinquies primum vv. 55. 191. 205. 259. 296,

ter secundum vv. 39. 178. 239. Qualis in periegesi earundem particularum ordo sit, indice illustretur:

	Loco primo	altero	tertio	quarto
At	vv. 24. 40. 60. 102. 108. 127. 205. 495. 507. 531. 592. 625. 938. 1040.	vv. 105. 258. 263. 400. 405. 505.	v. 953.	v. 229.
Ast	vv. 28. 33. 190. 231. 264. 338. 548. 568. 577. 583. 610. 614. 623. 629. 731. 968. 1016. 1029.	v. 63.	v. 42.	
Sed	vv. 13. 16. 20. 26. 47. 142. 151. 174. 260. 396. 422. 524. 535. 574. 643. 685. 715. 721. 797. 831. 843. 884. 911. 1041. 1067. 1080.	vv. 11. 84. 106. 394. 425. 670. 701. 872.	vv. 562. 901.	vv. 372. 526.

Etiam coniunctiones copulativae atque (ac), et in panegyrico accuratius collocantur quam in periegesi. In panegyrico atque (ac) semper (decies), ut est norma, inter verba sive sententias iungenda ponitur; in periegesi sex versus inter sex et quadraginta eam normam neglegunt:

v. 414. Tenditur atque vetus qua longo gurgite Ladon.
521. Et Corcyra potens Itaces atque aspera tellus.
546. Fertilis atque Thasos, simul Imbros post Corybantum.
624. Hyrcanum, pariter Parthum, simul atque Sabaeum.
915. Ocior atque vadis emergens cedit amaris.
919. Agricolis pariter pastoribus atque feracem.

Et in panegyrico octies et tricies invenitur, semel et tricies verbis coniungendis praecedens et septies ea sequens vv. 105. 110. 132. 172. 200. 225. 244. In periegesi sunt centum et quattuor et quorum undecim post verbum coniungendum inveniuntur vv. 44. 70. 98.. 261. 323. 769. 816. 837. 853. 876. 927, duo tertio loco vv. 196. 1001, unum quarto v. 873.

Iam proferam nonnullas constructiones, figuras, verba, quae periegesis propria sunt, in panegyrico autem vitantur:

1. Nonnunquam Priscianus — scilicet Vergilium aliosque optimos auctores imitatus — magna coniunctionum cumulatione utitur, praesertim cum eas cum adverbiis simul, pariter, nec non coniungat. Cuius rei exempla sunt digna quae notentur: v. 104 nec non simul, 624 Hyrcanum pariter, Parthum simul atque Sabaeum, 664 nec non Oretaeque,

727 Et Tochari Frunique et (Dion. v. 752 καὶ—τε καὶ), 863 Arboribus pariter pecorique et . . . (Dion. v. 922 τε—καὶ), 878 Et casia nec non et, 1003 . . . Aribasque simul linique Arachotas, 1082 Oceanusque simul nec non . . .

2. Ellipsis indicativi verbi auxiliaris esse fere quadragies notanda est. Panegyrici ellipses v. 10 nec mirum, v. 121 infandum! etiam in oratione soluta inusitatae non sunt.

3. Verbum compositum anastrophe discinditur v. 10. sq. circum-clauditur, 398 sub-cincta = succincta, 405 sq. circum-cingitur, 713 praeter-fluentem.

4. Nomen substantivum, quod nos ut appositionem vertere solemus, in sequentem enuntiationem relativam trahitur v. 8 Oceanum, tellus quo cingitur aequore, 58 . . . nomine Saturni quod Tethys possidet aequor, 68 . . . qui frangitur aequore pontus, 363 . . . quam pulcher gratam praeterfluit Aesarus urbem, 691 malos lemures quod pellit munus, iaspin, 964 . . . quod proprie pelagus celebrat cognomine latum, 972 . . . quique tenent populi . . . agros.

5. Dativus septies pro a cum ablativo adhibetur v. 267 tibi dinoscitur, 463 vocata vetustis, 563 cernitur huic, 594 spectetur tibi, 726 quibus coluntur, 766 nobis dicatur, 941 tibi noscetur.

6. Praepositio sub contra solitum usum interdum cum accusativo iungitur, cum ablativum optemus v. 235 colunt sub moenia Thebes, 414 sq. habitant sub scopulos, 434 sq. sub cuius scopulos . . . . servant, 455 sq. . . . contingat . . . sub iuga, 892 . . . zephyri sub partes degit Erembum . . . genus, 954 sub colles imos habitant. Priscianus sub cum accusativo et sub cum ablativo parum discernere videtur.

7. Eadem praepositio sub saepius prorsus vim praepositionis in sive versus usurpat v. 152 sub parte sinistra, 158 gelidis habitant sub finibus, 601 sub ore feroci, 667 sub oras, 669 regione sub una, 717 sub Caspia litora, 908 extrema sub parte, 991 Ariae sub finibus. Aeque sub saepe ad caeli regiones significandas adhibetur, quae ex sideribus vel ventis nominantur, exempli causa v. 836 sub solem vergit et austros, 947 oriente sub ipso, 952 sub boream, 966 sub partibus arcti.

8. Numeralia distributiva pro numeralibus cardinalibus in usum veniunt, quamquam non cum pluralibus tantum coniunguntur v. 145 ternis diebus, 216 septeno gurgite, 290 gurgite quino, 328 partes ternas, 479 cardinibus ternis, 537 sunt ternae (sc. insulae), 1037 marginibus ternis.

9. Cum utrumque carmen, ut locum, ubi quid sit, significet, ablativum sine praepositione ponat, sola periegesis nudo accusativo vel ablativo utitur, ubi quo? vel unde? quaeritur, etiamsi non de urbibus aut parvis insulis agatur: v. 55 Pamphylumque latus . . . pertendit, 289 Euxini pervenit undas, 374 sinum penetrans Aquileium, 562 Cimmerium Bosphoron ibit, 722 vergit boream, 758 irrumpit pontum, 812 penetrans vicinas oras, 833 finem pervenio, 936 advergens austros, — v. 307 currunt Riphaeis montibus, 671 Aegypto missi, 695 vergunt zephyro, 1052 Emodo missos monte.

10. Ex contrario praepositio exstat, ubi nudus ablativus instrumenti exspectatur v. 416 tacto accensus ab igni.

11. Nomina propria geographica cum nominibus appellativis genitivo epexegetico iunguntur: v. 361 flumen Halecis (nominativus: Halex, cf. Wernsdorfium ad v. 361), 588 Borysthenis amni (nom.: Borysthenes, Graece Βορυσθένης), 718 flumen Araxis (nom.: Araxes, cf. Wernsd. a. h. l.), 797 fluvium Maeandri, 906 Babylonis urbem. Similiter scribitur v. 755 gemma iaspidis albae, 1008 curalli lapidem.

12. Accusativum limitationis, quem vocant Graecum, animadvertimus bis: v. 794 capiaris pectora cantu, 894 nigrescunt corpus adusti.

13. Forma quis pro quibus legitur vv. 269. 278. 741.

14. Numerale unus liberius adhibetur, velut v. 557 una pro Graeco τις (Dion. v. 541) = quaedam, 141 unus pro alter respondens insequenti (v. 142) alter, 334 unam pro alteram sc. Herculis e statuis.

15. Temporale diu pro locali longe usurpatur v. 869 protenta diu.

16. Ut scribitur pro quantum sive quoad v. 925 deo similes, licet ut mortalibus esse.

17. Poetica forma ceu pro comparativo ut exstat vv. 9. 473. 550. 584.

18. Nimium, quod cum vulgo tum in panegyrico (v. 28 nimium iustos) abundantiam significat, in periegesi saepius gradus superlativi vicem implet: v. 608 nimium placare, 743 dives nimium, 846 nimium decoratam, 980 nimium decoratur.

Panegyricus, quamvis a bono stilo non alienus, notabiles constructiones praebet et figuras, quae ex parte vitandae erant, et quae in periegesi non inveniuntur:

1. Coniunctio finalis ne pro consecutiva ut non legitur v. 82 sq. Hos dominus sic domuit, post haec ne possint esse rebelles.

2. Verbum sperare quod sequentem accusativum cum infinitivo futuri postulat, cum accusativo cum infinitivo praesentis iungitur v. 119 sperabant ducere, cum coniunctivo v. 265 Roma tibi cum spero pareat uni.

3. Bis interrogatio indirecta indicativum pro coniunctivo praebet: v. 270 sq. experti sumus, quanta tuum pectus servat praesentia regis, 278 quantus adest pro te ostendens.

4. In imperatoris maiestate appellanda nonnunquam vester pro tuus ponitur vv. 8. 161. 168. 173. 239. 255. 262. 298, et vobis pro tibi vv. 171. 286.

5. Constructio ablativi comparationis in panegyrico notabilem ellipsin offert v. 167 Ad quas accessit placidus magis omnibus aris, ubi quam ad omnes aras desideratur, et v. 187 sq. Qui dubio quondam peiora pericula ponto iam patrias oras tolerabant nave tenentes, ubi quam in dubio ponto optatur.

Summi momenti est et thesin nostram panegyricum et periegesin non esse eiusdem auctoris inprimis confirmat, quod panegyrici poeta christianum se esse profitetur, cum periegetes aliter de rebus divinis sensisse videatur.

Confessio christiana panegyrici auctoris ex his locis apparet:

Ad memoriam novissimi diei excitamur verbis v. 55 sq., quibus deus appellatur pater, qui pari libra iusti momenta repensat.

Christianorum deus opponitur Jovi vv. 174—179 Aemilius Paulus placavit Jovem Capitolia templa tenentem, omnipotens sed te (Anastasium) superum conspexit ab arce numina placantem caelestia templa tenentis.

vv. 211—16 mentio fit Josephi, quanta pudicitia et sapientia fuerit, quomodo Pharaonis somnia interpretatus sit, quomodo frumentum horreis condens Aegyptios a fame defenderit.

Deus ubique praesens invocatur v. 309 sq. Numen, quod caelum, terram, pontumque revisit, Ausoniis servet regnis haec munera semper.

Quin etiam biblia commemorantur v. 280 Sancta pios homines testantur scripta.

Periegesis auctorem dico certam religionem omnino non profiteri.

Sane verum est id, quod interpretes notant (cf. C. Muellerum l. c. p. XXX), Priscianum omnes locos, quibus Dionysius ethnicos deos laudet aut Musas invocet, supprimere; sed non probandum est illud: Quaecunque ille subinde de singulorum deorum cerimoniis, ritibus, orgiis aut aliis rebus superstitiones gentilium redolentibus immiscet, haec studiose praeterit. Nam re vera gentilium ritus, orgia aliaeque superstitiones commemorantur velut v. 489 sqq. Dianas fons est . . . quem si quis manibus non castis hauserit unquam, laetifico tristis non miscet pocula Baccho, v. 560 Hic animas perhibent heroum laude potentes degere securas, v. 586 sq. In quibus uxores Amnitum Bacchica sacra concelebrant hederae foliis tectaeque corymbis, v. 775 sq. Qua nymphas perhibent comitem rapuisse potentis Alcidae.

Quin etiam potentia divina plurali significatur, quo uti christianum minime decebat, v. 387 Hic illis aliud posuerunt numina monstrum.

Priscianum christianum fuisse Dodwellus et eum sequentes Wernsdorfius aliique eo inprimis loco confirmare volunt, ubi de Phoenicibus haec dicuntur: v. 846 sq. Chaldaeo nimium decoratam sanguine gentem arcanisque dei celebratam legibus unam. Namque cum Dionysius non prodiderit Phoenices a Chaldaeis descendere sed ab Erythraeis (cf. Dionys. v. 906), illi viri docti coniciunt originem Phoenicum, cum quibus Iudaei misceri videantur, eam ob causam a Chaldaeis deduci, quod ab his Abrahamus patriarcha oriundus sit. Praeterea verba gentem arcanis dei celebratam legibus unam non ad aliam gentem spectare posse nisi ad Hebraeos, Abrahami posteros. Quae conclusio quaesita et parum verisimilis videtur esse. Equidem puto e vv. 846 sqq. nihil aliud effici, quam ut Phoenices a Chaldaeis orti aeque atque hi arcanis dei legibus celebrata gens sint. Chaldaei primi cursum stellarum observabant atque intellegebant, iidem primi astronomiam et arcanam astrologiam colebant. Praeterea recte Camers monuit Ciceronem in libris de divinatione Chaldaeorum mentionem facere ut vaticinatorum, augurum, somniorum interpretum, magorum. Ad has artes arcanae leges mihi videntur referendae esse minimeque ad leges Mosis vel Iudaeorum. Nam quid arbitramur fuisse causae, cur Priscianus, si verum esset eum ubique personam christianam prae se tulisse (cf. notam ad. 846 in Wernsdorfii editione) gentis sibi bene notae Iudaeorum, ex qua magnus Nazarenus natus est, nomen pronuntiare neglegeret? Nonne parum verisimile est eundem christianum paraphrasten, qui Dionysii de Byzantio

verba vertens (Dion. v. 804.) propria verba addiderit v. 771 sq. moenia ... Romanisque pie regnis dominantia mundo et multis aliis locis relationes (ut v. 185 sq. Vergilii de Didone narrationem) aut descriptiones aliunde repetitas mirorum lapidum, avium etc. inferserit, terram sanctam silentio praeterire?

Non minus insolenter a Wernsdorfio (cf. notam ad v. 3) contenditur verba v. 3 in quas imperium mortalibus ipse dedisti christiano more adhiberi et ex sacris litteris Gen. I, 28 videri expressas esse. Quod a Wernsdorfio ipso refellitur, cum argumenta afferat, ex quibus apparet etiam gentiles docuisse hominem terris et ceteris animalibus imperare: Ovid. Met. I, 77 ... quod dominari in cetera posset, natus homo est et Plin. hist. nat. praef. libri VII. ... animal ceteris imperaturum.

Non dico periegeten ethnicum fuisse, qui veteres deos crederet, sed minime argumentis probari potest eum christianam religionem lege sancitam professum esse sicut panegyrici auctorem. Opinor potius Priscianum, qui iam ante Justiniani dominationem maximam partem vitae degerat, quo tempore paganitas christianismo nondum plane remota erat sed novam doctrinam disciplina neoplatonica vehementer impugnabat, librum suum geographicum in usum scholarum scriptum ita instituisse, ut ei quasi indoles simultanea esset, ut ab utriusque religionis confessoribus sine offensione legi posset.

Manitius in Museo Rhenano XLIV p. 544 monet Hugonem de Trimberg disserentem de Prisciano questum esse: Laude quidem dignior foret Priscianus, si mansisset ut erat pridem christianus. Manitius opinatur hoc iudicium oriundum esse ex vita quadam Prisciani posterioris aetatis. Cui non assentior. Equidem censeo Trimbergensem in hunc errorem eo inductum esse, quod religionis discrimine nostrorum carminum auctorum, quae vulgo eiusdem nomini adscribebantur, cognito putabat Priscianum, dum christianus erat, panegyricum et postea religione mutata periegesin composuisse.

Quoquo modo res se habet, id quidem mihi videtur constare auctorem panegyrici, qui vere personam christianam ubique prae se fert, non scripsisse librum, in quo ne mentio quidem fit confessionis christianae.

Endlicherus in panegyrici editione p. XV dicit inter periegesin, inprimis inter quattuor illos versus 1—4:

> Naturae genitor, quae mundum continet omnem,
> Adnue, rex caeli, positum telluris et undae,
> In quos imperium mortalibus ipse dedisti,
> Materiae tantae me promere carmine digno

quos Priscianus e suo praefixerit animo et panegyricum non exiguam stili affinitatem intercedere; argumenta non affert. Sane negari non potest hos versus elegantia quadam compositos esse, si ceteros periegesis versus comparas, sed in panegyrico, ut iam supra demonstratum est (p. 7), nusquam copula et ante ultimam arsin ponitur neque usquam adiectivum dignus cum genitivo coniungitur, quam constructionem in v. 4 periegesis vulgata lectio praebet (cf. Wernsdorfium l. c. p. 266). Quod deus similiter atque paneg. v. 101 summi genitoris perieg. v. 1 Naturae genitor et similiter ac paneg v. 2 caelestis rex, 38 caeli rex, 271 rex caelestis 286, rex omnipotens perieg. v. 2 rex caeli

appellatur, hac re nihil efficitur ad affinitatem carminum, nam eiusmodi dei epitheta ab omnibus fere scriptoribus adhibentur.

Eadem de causa supra omnino non commemoravi id quod Manitius in Museo Rhenano XLIV p. 544 sq. contendit versibus 1 sqq., 1075 sq., 1087, 71 auctorem se praebere christianum. Ille si Camertis ad v. 1079 notam legisset, non fugisset eum etiam horum locorum simillimos inveniri in auctoribus ethinicis, Plinio et Silio.

Ex his, quae dixi, satis apparere puto inter periegesin et panegyricum tot tantaque discrimina et notabilia quidem interesse, ut carmina nostra eiusdem auctoris esse non possint.

Reliquum est, ut de praefatione, quam antea negleximus, breviter disputemus.

Cum panegyrici auctor tantam curam ad hexametros componendos conferat, iure miramur, quod non eandem curam senariorum iambicorum agit, quos Teuffelius l. c. merito crepitantes dicit.

Ut in hexametro ita in trimetro iambico usitatissima caesura penthemimeres est, quae post tertiam thesin fit, velut praef.

v. 1. Summi poetae || quae solent in versibus

et proxima dignitate ea est, quae post quartam thesin ponitur, i. e. hephthemimeres, velut praef.

v. 8. Sapientium damnatur || arbitrio pari

(cf. L. Muellerum, de re metr. p. 203 sq.)

Cum omnes panegyrici hexametros penthemimeri incidere possimus, in senariis praeter v. 8 etiam v. 11 hephthemimeren praebet:

Quare precor libenter || audias tua.

Incisio a Catullo, Horatio, aliis bonis poetis (cf. Muellerum l. c.) evitata, quae post priorem sive alteram sive post utramque fit dipodiam, ter invenitur post priorem et alteram dipodiam:

v. 7. Nam qui tribuit || mortalibus || caelestia
12. Quae iuncta non || ego potero || producere
18. Addere decus || rebus magis || quam sumere

semel post alteram

v. 10. Cum falsa ceperit canens || exordia.

Quin etiam praefationis auctor versum fecit, in quo fieri non potest, quin caesuram post finitum pedem tertium ponamus, ut versum illum Alexandrinum Francogallorum demum ab duodecimo post Christum natum saeculo inde usitatum spectemus:

v. 2. Quos imperatorum || modulantur laudibus
4. Adversa naturae || sequentes impie.

Ad eandem caesuram constituendam invitari possis etiam versu

17. Quod more miro fit; solent nam carmina;

nam propter interpunctionem post pedem tertium factam incisionis post tertiam thesin vis imminuitur. Eadem interpunctione versus 17 praefatio a panegyrico abhorret, quod omnino interpunctionen intra versum ponit.

Alias rei metricae proprietates iamborum hoc loco omitto, quoniam his cum hexametrorum propritatibus tertium comparationis non est. Ceterum satis apparere mihi videtur auctorem hexametrorum, cum in hexametris componendis leges rei metricae tam accurate observaverit, in senariis componendis tanta licentia uti non potuisse.

Etiam sententia, stilus, grammatica indicant praefationem non esse eius, qui panegyricum composuit.

Ac primum quidem praefatio supervacanea videtur esse, quoniam panegyrici vv. 1—9 quasi alteram praefationem, qua gratiae deo aguntur pro benignitate et poetae consilium enuntiatur praeconiorum dicendorum, afferunt; tum sententia iamborum plane vulgaris et communis est minimeque ad panegyricum ipsum pertinet. Cum neque nomen imperatoris enuntietur, cuius laudes in carmine canendae sunt, neque homines aut tempora significentur, haec praefatio omnibus aliis imperatorum panegyricis praeponi poterat.

At ipsa discrepantia est inter praefationem et panegyricum, quod in priore summi poetae vituperantur, qui falsa ceperint canentes exordia, cum caelum petunt et sidera, adversa naturae sequentes, tum vero in altero (v. 8 sq.) legitur praeconia cantum iri, quae finit caelum, quibus cingitur orbis.

Quod ad dictionem attinet, id mihi videtur notabile esse, quod in praefationis v. 5 verbum scio non cum accusativo cum infinitivo sed cum quod iungitur, quam constructionem panegyricus non novit. Porro imperatoris maiestas non appellatur plurali secundae personae pronominis personalis. Denique cum in panegyrico distinctum et perspicuum dicendi genus inveniatur, praefationis vv. 11 sqq. plane obscuri sunt: . . . audias tua, quae iuncta non ego potero producere . . . sed parte ferre qua valeo pro viribus decerpta lucem conferat quae cantibus. Quod more miro fit; solent nam carmina addere decus rebus magis quam sumere. Hi quidem versus, si pro conferat conicimus conferant, verti possunt, sed neque conexum neque sensum habent.

Eas ob causas mihi videtur verisimile esse librarium quendam praefationem alicubi inventam vel ex suo ingenio invita Minerva compositam panegyrico eadem licentia usum praeposuisse, qua titulum atque inprimis verbosam subscriptionem addiderit. Quae licentia eo satis illustratur, quod Anastasio praeter alia epitheta cognomen Gothici victoris inditur, quamquam in panegyrico ipso Gothorum ne syllaba quidem mentio fit. Etiam tantum abest, ut Anastasius Gothos vicerit, ut rem male gesserit contra eos.

Quaerat quispiam, annon duritates periegesis, quas inprimis in re metrica reprehendi, eo effectae sint, quod paraphrastes, cum archetypum verteret, quae invenerat aspere dicta vitare non potuerit vel noluerit.

Sane negari non potest licentias metricas periegesis, quas notavi, maximam partem etiam in Dionysio exstare, sed perraro ipsis iis locis inveniuntur, quae paraphrasi respon-

dent. Solum ex illis quinque versibus (cf. p. 12), qui caesuram bucolicam post quartum dactylum exhibent, quattuor archetypum sequuntur: v. 157 (Dion. 167), 464 (Dion. 457), 830 (Dion. 892), 886 (Dion. 956). Ceterum Priscianus creberrimas Dionysii caesuras bucolicas de industria evitavit, cum Avienus, alter Dionysii periegesis paraphrastes, in descriptione orbis terrae (repetita a Carolo Muellero Geogr. Graec. min. p. 176 sqq.) eas saepissime imitetur. Idem Avienus etiam aliis licentiis rei metricae Latina accuratione neglecta Dionysium sequitur. Ille exempli causa minime dubitat caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον etiam post verbum Latinum uti aut vocabulum monosyllabum in fine versus ponere. Dictione contra multo meliore et elegantiore utitur quam Priscianus, ut ille quasi linguam propriam hic alienam usurpare videatur.

Quamobrem Avienus laudandus est, quod formam Graecam feliciter imitatus optimam linguam Latinam praebet, reprehendendus Priscianus, qui et formae Latinae studens Graecam non plane vitat neque elegantem dictionem Avieni adaequare potest.

Certe Avieni paraphrasi demonstratur necesse non esse paraphrasten', cum vitet vitia, in contraria currere. Itaque puto non tam ex difficultate vertendi quam ex inscitia sive atechnia paraphrastae tot locos duritie insignes in perigesi ortos esse. Equidem mihi persuadere non possum panegyrici tam elegantem auctorem non potuisse vertendi difficultates melius superare quam periegesis auctori contigit.